

*Mars, Jupiter, Saturnus.* Planetas illos ita circa solem revolvi demonstrant observationes astronomicae ita ut radiis ad solem ductis areas describant temporibus proportionales; lex illa qua planetae circa solem areas describunt temporibus proportionales, ab inventore suo *prima lex Kepleri* solet appellari. Saturnum comitantur stellulae quinque quae satellites dicuntur & Jovem quatuor; illi autem satellites, qui *planetae secundarii* etiam appellantur eadem lege circa planetas primarios revolvuntur, areas scilicet circa suos planetas & circa solem ipsum describunt temporibus proportionales. Revolvitur quoque luna circa terram nostram radiisque ad ipsius centrum ductis areas describit temporibus quam proxime proportionales. Igitur planetae primarii vi centripeta tendunt in solem, & planetae secundarii tendunt quoque in suos primarios atque in solem ipsum: luna etiam vi centripeta urgetur in terram. Porro actioni aequalis est & contraria reactio; ergo mutua est attractio, nempe planetae attrahuntur a sole & viceversa sol trahitur a planetis, satellites tendunt in planetas primarios, & contra planetae primarii in secundarios, ac proinde luna tendit in terram, & vicissim terra in lunam. Hanc mutuanam lunae tellurisque attractionem demonstrant astronomicae observationes plurimae, sed explicata astronomiae doctrina tota res deinde facilius intelligetur; quare mutuanam planetarum attractionem nunc generatim ostendere satis erit. Cum inter planetas primarios & secundarios, inter solem & planetas